



Prot. N. 1172/99/L

NOTIFICATIO DE CULTU BEATORUM *

1. Beati legitime vocantur servi Dei, quibus hoc nomen sollemniter a Pontifice Romano in ritu beatificationis declaratur vel quorum cultus ab immemorabili consuetudine a Sede Apostolica confirmatus est.

2. Cultus vero liturgicus Beatorum tantum in locis et modis iure statutis conceditur.

3. Competit Episcopo dioecetano pro sua dioecesi petere, ut in Calendario particulari inscriptus sit aliquis Beatus, qui cum ipsa dioecesi peculiarem habeat necessitatem, ex. gr. originis, longioris commorationis, apostolicae actuositatis, obitus vel sepulturae.

4. Item competit Supremo Moderatori Instituti religiosi petere, ut in Calendario particulari Instituti inscriptus sit aliquis Beatus, qui illius familiae religiosae sodalis fuisset vel cum ea peculiarem consuetudinem habuisset.

5. Celebratio Beatorum diei natalicio assignatur. Si vero dies natalicius impeditur in Calendario generali seu particulari alia celebratione obligatoria etiam inferioris gradus, proximiori diei similiter non impedito assignatur vel diei alia ratione eidem Beato proprio, ex. gr. diei ordinationis seu professionis religiosae seu translationis exuviarum.

6. Celebratio cuiuslibet Beati in Calendario particulari dioecesis vel familiae religiosae vel in amplioris territorii legitime inscripti gradu memoriae ad libitum fit et gradu memoriae obligatoria in ecclesia, in qua exuviae eius asservantur; gradus vero festi plerumque reservatur in Calendario Instituti religiosi Beato, qui illius Instituti fundator fuit.

7. Ne Calendario universae dioecesis vel universi Instituti nimis gravetur, caveatur ut propria celebratione inscribantur tantummodo Beati, qui peculiare momentum prae se ferunt pro universa dioecesi vel familia religiosa; ceteri tantum iis in locis celebrentur, quibuscum strictiores habent necessitudines vel ubi eorum exuviae asservantur. Haec norma eo magis valet pro regione vel natione.

./.

* *Notitiae* 35 (1999) 444-446.

8. Textus liturgici pro celebratione Beatorum desumi possunt ex respectivo Communi sive Missalis Romani sive Liturgiae Horarum. Collecta propria est, rationem praecipuam habens cum ipso Beato. In Officio Lectionis, lectio altera cum responsorio proponatur sive ex scriptis eiusdem Beati sive e testimonio contemporaneo desumpta, secus e scriptis Patrum aut scriptorum ecclesiasticorum. Lectioni praeponatur brevis narratio hagiographica, quae tamen in Liturgiae Horarum celebratione legenda non est. Hi textus Congregationi de Cultu Divino et Disciplina Sacramentorum a competenti auctoritate ante beatificationem proponi debent et, nisi assenserit Apostolica Sedes, mutari nequeunt.

9. Ut aliquis Beatus Titularis ecclesiae eligatur, opus est praevium indultum Apostolicae Sedis, nisi eius memoria Calendario particulari iam addita sit: hoc in casu, indultum non requiritur et veneratio Beati in ecclesia, cuius ipse Titularis est, gradu festi celebratur.

10. Iuxta normas a Congregatione de Cultu Divino et Disciplina Sacramentorum statutas, aliquis Beatus Patronus loci vel consociationis eligi potest, quae electio tamen Apostolicae Sedi confirmanda est.

11. Ubi cultus concessus sit, exuviae seu reliquae alicuius Beati publicae christifidelium venerationi proponi et eius imagines radiis decorari possunt.

12. Facultas exsequendi celebrationes liturgicas in honorem novi Beati, iuxta «Normas de celebrationibus, quae in honorem alicuius Beati, congruo tempore post beatificationem, peragi solent» intra annum ab ipsa beatificatione, petitur una cum approbatione textuum liturgicorum novi Beati ante beatificationem.

13. Nomina Beatorum, qui in Calendario dioecesis vel Instituti religiosi leguntur, in Prece Eucharistica III (*Ordo Missae* n. 114) nominari et in Litanis Sanctorum addi possunt.

14. Quoad Beatos vero, qui neque in Martyrologio Romano descripti sunt neque publico cultu ab Apostolica Sede decreto vel ab eadem confirmato fruuntur, viget Decretum S. Rituum Congregationis diei 28 aprilis 1914, iuxta quod, si in locis particularibus ex immemorabili consuetudine publico ac religioso cultu Beati quidam honorentur, in Calendario particulari eos servare licet, asterisco seu alio signo eius nomini apposito; ex qua notatione, igitur, explicitum decretum deesse significatur, quo ipsi formaliter beati declarentur.

Vaticani, 21 maii 1999.

Georgius A. Card. MEDINA ESTÉVEZ

Praefectus

Marius MARINI

Sub-Secretarius